



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Iosephina Lvcernensis

**Reiß, Jacob
Tschan, Jacob**

Constantiae, 1658

36. Coadiutor Iesv Redemptoris nostri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9773

Litteris constat, IOSEPHVM custodiæ causæ subtraxisse Herodi & Archelao IESVM, perditumque sollicitè requisivisse. Atqui denominari, sequitur esse. 6. Nulla est Ecclesia sine *custode*. Atqui Domus Nazarethana, in quâ IESVS, MARIA, & IOSEPH habitârunt, Ecclesia est omnium Ecclesiarum sanctissima. Ergo debuit aliquis esse *custos* eius. At nemo potuit esse præter IOSEPHVM. Ergo IOSEPH fuit *custos* eius, itémque IESV, qui pars præcipua est eiusdem Ecclesiæ, siue Sacræ Congregationis. 7. IOSEPH est Angelus, & quidem ut Gratianus tradit probâtque lib. 4. & 5. tit. 4. vitâ, meritis, gratiâ, ministeriô cum omnibus Angelorum Choris communi. Est ergo verè Angelus, Custos.

ELOGIVM XXXVI.

IOSEPH

Coadiutor IESV Redemptoris nostri.

INter ea, quæ inimici nostri reprehendunt in Societate IESV, tum à pontificibus summis scorsim, tum à Concilio Trident. Sess. 25. cap. 16. approbatâ, est etiam gradus Coadiutorum, diversus à Professorum gradu, ac minor illô, utpote solubilis à Præpositô Generali eiusdem Societatis.

Verùm hac in re, siue imperitia instituti, siue malevolentia animi nova omnia fastidientis transuersos eos agit. Nam 1. quæ potest esse servitus

H

manci-

mancipatione maior ? At hæc licet maxima manumissione soluitur. Quid igitur mirum, hunc ipsum Coadiutorum gradum simul esse gradum perfectissimæ seruitutis, quò se homo obligat Deo? Atqui tamen quæcunque seruitus à legitimo Magistratu destrui potest. 2. Annon matrimonium in Veteri Lege soluebatur repudij libello ? At est hic ipse Status Coadiutorum quædam matrimonij spiritualis species. 3. Nonne & Professorum gradus quantumlibet firmus, quâ coiuit Pontificum potestate, denuo confringi, & potest, & aliquando solet ? At huic eidem potestati innituntur Superiores Societatis, dum aliquando ex grauibus causis dimittunt eosdem Coadiutores. 4. Annon iisdem indulgentijs & gratijs Pontificijs, atque in genere eodem victu, vestitûque, Professorum instar, prouidentur Coadiutores ? 5. Annon ij maxime ad Rectorum obeunda officia admouentur, & admouendi conquiruntur ? Etsi autem aliqui ex ijs, propterea, quòd Sacerdotio initiati non sint, & ad officia Marthæ applicentur, illuc vsque non pertingant, occasiones tamen complures habent, quibus, non tam Patrum Fratres, quàm *Patres charitate*, fieri possint.

Sed vilescit his Societatis obtrectatoribus ipsa hæc Coadiutoris vox. Quasi verò non esset eadem cum Adiutoris voce; quæ, quia toties Deo tribuitur in Sacris Litteris, diuinitatem quandam accepisse videtur. Et malim ego tamen Coadiutoris nomen præcipuè retineri; tum quia placitum fuit

S. P. N.

S. P. N. Viro sapientissimo; tum deinde, quia origo etiam huius vocis perantiqua est, valdeque honorata; adeo ut ijs quoque, qui Episcopis senio morboque fractis in subsidium cum successionis spe adiunguntur, honoris causa imponatur.

Verum longior sum, quam patiatur praesens forum. Igitur ad IOSEPHVM recipio me, proboque Coadiutoris nomen, supremum dignitatis & gloriae apicem ab eodem IOSEPHO accepisse, hoc ipso, quod verè ac propriè fuerit Coadiutor IESV in redimendo genere humano. Inprimis autem id docuit Carthag. lib. 4. Hom. 5. à fol. 314. vbi, *Trinitas*, inquit, *Personarum nostram Redemptionem operata est; IESVS, ut auctor salutis; MARIA, ut mediatrix; IOSEPH, ut coadiutor.* Vnde sicut cum bellum initur, victoria non solum tribuitur militibus, qui cum hostibus congressi sunt, sed etiam excubijs, & exploratoribus, qui per abscondita itinera, clam, milites, & arma introduxere, ita licet Redemptio generis humani soli Christo, tanquam principali causa, debeat adscribi, &c. *MARIAE* tamen eatenus etiam attribui debet, quatenus contulit Christo carnem & sanguinem, pretium nostrae Redemptionis ei subministrans. IOSEPHO etiam eius sponso, suo modo partim debet dari, quia ipsum fortissimum Ducem Diaboli debellatorem, dum infans erat, & puer, abscondit, & clam educavit, ac enutrit, &c. Hæc ille.

Quibus accedunt etiam Rationes hæ. 1. quia IOSEPH vnus omnia Coadiutorum, quos temporales vocamus, munia complexus est. 2. quia non

paucas etiam Spiritualium Coadiutorum functiones obiuit, regendo ferè occupatus, & MARIE Virginitatem custodiendo. Christum quoque diu-
tissimè & operosissimè adiuuit, ac demum se quo-
que eius honori & amori superimpendit. Iniurius ergo in IOSEPHVM est, quisquis negare audeat Coadiutorem esse IESV Redemptoris nostri.

ELOGIUM XXXVII.

IOSEPH

Propheta magnus in Israel.

BEne sit Abulensi, qui me clarissimis verbis quæst. 57. in cap. 1. Matth. primus docuit, IOSEPHVM Prophetam fuisse. At Rationes insuper reperio, quibus ex S. Thoma demonstratur, omnium Prophetarum fuisse præcipuum. Credisne autem mihi, hæc, Amice Veritatis? Dubitas nimirum de rebus, quæ communem vulgi excedunt fidem; cuiusmodi ista quoque sunt. Verùm accomoda pauxillum vacuam affectibus mentem; dum pro IOSEPHO depugnem.

Primùm tria requiruntur à Doct. Ang. in 2. 2. q. 171. a. 1. ad hoc, vt quis Propheta sit; nempe cognitio inspirata à Deo rerum procul remotarum à cognitione hominum; earundem rerum reuelatio in bonum Ecclesiæ; & operatio miraculorum. At ex his tribus 1. requiritur principaliter; 2. secundariò; 3. verò nonnisi per accidens prophetiæ coniun-